DE

ENTERO-MESENTERITIDE

CONTAGIOSA

BIPONTI ANNO 1830 GRASSATA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

AUCTORE

CAR. HEN. SCHULTZ,

BIPONTINO,

MEDICINAE CHIRURGIAE ARTISQUE OBSTETRITIAE DOCTORE.

„Nulla autem est alia pro certo noscendi via, nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias . . . collectas habere et inter se comparare.“

J. B. Morgagni de sed. et caus. morb. in prooemio libr. IV. pag. 7.

MONACHII, 1831.

TYPIS J. RÖSL.

PATRUO PERAMATO, MAXIMEQUE VENERANDO,

DOMINO

CAROLO, FERDINANDO, EMANUELO

SCHULTZ,

MEDICINAE, CHIRURGIAE, ARTISQUE OBSTETRITIAE DOCTORI, PLURIUM SOCIETATUM SODALI, PRACTICO APUD BIPONTINOS EXPERIENTISSIMO

HAS PAGELLAS

IN PERPETUUM GRATI ANIMI PIGNUS,

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

De dissertatione inaugurali cogitanti practicum mihi potius quam theoreticum arrisit thema, observationesque meas hucusque factas perscrutans, nullum inveni morbum, de quo tantam aegrorum copiam, quantam de entero-mesenteritide contagiosa, quem morbum sic nominare audeo, observandi et dissecandi mihi fuisset occasio.

Jam *Monachii* hujus morbi in nosocomio multa vidi exemplaria benignitasque doctissimi et

celeberrimi domini *Dr. Ringseis*, professoris in Academia Ludovico-Maximilianea publici, consiliarii in re medica supremi etc., per multorum hoc morbo defunctorum cadavera examinandi dedit mihi facultatem. Praesertim examini tractus intestinalis et quidem imprimis ulcerum infimae ilei partis operam navavi, et quae hic inveni, in promotione mea solemni die undecima mensis Augusti anni 1829 habita, quaestione inaugurali

„de enterohelcosi in typho abdominali“

publice legi.

Praecipue autem *Biponti*, (ubi auspiciis patrui mei peramati maximeque reverendi domini *Dr. Schultz*, cui permulta pro excolendo in praxi ingenio debeo, biennium legibus praescriptum perfeci) occasionem observationum de hoc morbo anno 1830 epidemice nostra in urbe grassato faciendarum non praetermisi, quibus etiam tota

haec innititur dissertatio. Nam observationes alibi et praesertim *Parisiis* factas, ubi a mense Novembri anni **1830** ad finem usque mensis Maji anni 1831 nosocomia ceteraque medicinae instituta visitaveram, et imprimis in nosocomio „*la Pitié*“ dicto, sub domino *Dr. Louis*, viro excellentissimo observatoreque strenuo, et in nosocomiis militaribus „*Val de Grâçe et Gros-Caillou*“ dictis, permagnum hoc morbo adfectorum vidi numerum, autopsiisque plurimis adfui, occasione data adducam.

Minime de ostentanda eruditione, centenis autorum citationibus sollicitus, ea tantum, quae observationes in aegri lecto, cadaverumque sectiones et comparationes casuum observatorum me docuere, hic proferre volui, raro his meis observationibus aliorum observatorum adjungens sententias.

Si meus labor hujus morbi historiae aliquid

afferret utilitatis, valde forem contentus. Haud ignoranti, multos eosque doctissimorum virorum calamos hac de materia scripsisse, hodieque scribere, tractatum de hoc morbo elaborare non fuit in animo, quippe quum difficultates ejusmodi operis facile praevidere potuerim. Benevoli igitur lectoris fretus aequitate, hasce observationes in lucem protuli.

Biponti die undecima mensis
Augusti anni 1831.

INTRODUCTIO.

De entero - mesenteritidis contagiosae antiquitate, nomine et synonymia.

Ars nostra difficilis modo observationis, modo speculationis viam tentavit, variisque temporibus vario modo, semper genio temporis plus minusve sese adaequans, limites suas extendere studuit. Observationum numero quodam facto, homo quidam magni ingenii suo tempore in lucem prodiit, easque sibi arreptas, ad principium quoddam ideale revocans, systema condidit. Hac via circulum idearum nostrarum valde fuisse amplificatum, multasque novas excitatas quis neget? Quis vero mihi non concedet, incrementa solidissima, basimque medicinae quasi constituentia, solummodo observationibus animo sincero factis pendere, nullumque systema validum condi posse, nisi principia ejus experientia ipsa nitantur? Sic nostro aevo, ubi studio anatomiae, physiologiae, ceterarumque scientiarum naturalium, progressus semper rapidiores sunt facti, quovis fere anno nova quaedam magni momenti sunt inventa. Haec est etiam ratio morbi a me describendi, qui secundum epidemiae

ipsius intensitatem et pro anni tempore et tempestatum ratione, aliasque res, quae in nostrum corpus actionem majorem minoremve exercent, sub formis se nobis exhibet diversissimis.

Quare etiam Roederer et Wagler in tractatu de morbo mucoso pag. 2 (edit. paris.) egregie dicunt: „tanta vero unius ejusdemque morbi, pro „diversitate causarum, temporum, subjectorum inter„dum est varietas, ut vel sagacissimus observator „aegre ex tanta diversitatum multitudine sese ex„pediat.“

Quid mirum igitur morbum huncce, variis temporibus pro scientiae statu et epidemiarum diversitate aliasque ob rationes, nominibus diversis fuisse imbutum.

Sic eum nominaverunt:

a) secundum characterem febrilem,

febrem continuam, }
— nervosam, } cum variis epithetis
— typhosam, }

affection typhoïde, (Louis)

typhum contagiosum,

— acutissimum,

— acutum,

— benignum,

— malignum,

— petechialem (Hasenöhrl) et ita porro.

b) secundum causas et locos, ubi epidemia sese monstravit,

typhum carceralem,

— nosocomialem,

— navalem,

typhum castrensem,

β) gallicum, etc.

— bellicum,

β) russico-polonicum, etc.

c) secundum anni tempora etiam vocabatur.

d) secundum ea quae iste morbus produxit, accepit nomina:

febrem mucosam,

— biliosam,

— verminosam, etc.

β) secundum productorum naturam, febrem putridam, etc.

e) secundum sedem morbi:

typhum abdominalem, (Schönlein)
gastro-entérite grave, (Broussais)
fievre entéro-mésentérique, (Petit et Serres)
Dothinentérie ou Dothinentérite (Bretonneau)
Ileodyclytite, (Bailly) etc.

Quid mirum, etiam auctores morbum huncce observantes, et describentes, semperque nova et nondum notata invenientes, praesertim nostro tempore, ubi cadaverum sectionibus maximum nostrae scientiae lumen fuit allatum, morbum pro novo haberent. Vide L. A. Lesage, danger et absurdité de la doctrine physiologique du Docteur Broussais, et observations sur le typhus de 1814, la maladie qui a régné à l'école de St. Cyr en 1821, et les fièvres adynamiques en général, Paris 1823, 8. pag. 430, — „je dois cependant dire en sa faveur, que sa doctrine (de Broussais) a excité plus fortement l'attention des médecins, à rechercher le siége et les causes des maladies.“

Attamen hic morbus certe est antiquissimus, et ab auctoribus pro novo fuit ideo tractatus, quod in veterum auctorum operibus, qui cadaverum sectionibus operam non dederunt, et hanc ob rem morbi sedem modo in hac, modo in illa corporis parte quaerebant, non facile se ex confusione expedire potuerant, et quia morbus tam diversum se nobis monstrat.

In tanta nominum multitudine nullum mihi penitus placuit, qua de causa novo hunc morbum nomine putavi imbuendum. Nam morbus secundum sedem, aut caracteres eorum maxime constantes et dilucidissime in adspectum venientes esse nominandos non me fefellit, cum hac via solum ad naturalem medicinae nomenclaturam suo tempore pervenire possimus.

Si ex. gr. nostram epidemiam secundum ejus producta nominassem, nomen ejus fuisset, „febris mucoso - bilioso - verminosa“ quia in omnibus hoc morbo affectis magna muci bilisque copia fuit progenerata. De sede vero hac re non certiores ſimus; nam mucus in omnibus membranis mucosis majori copia potest secerni, ut in respirationis urinaeque organis, ejusque secretio cum febre incedere potest; et si de febre biliosa loquimur, potius vesiculam felleam et hepar cogitamus. Vermes et imprimis trichocephalum disparem, nostra in epidemia tanta copia in omnibus hoc morbo mortuis repertos aut a plurimis aegris vomitu aut alvo esse dejectos, signum tantum est forsan acessorium; nam aliae etiam observatae sunt epidemiae, in quibus non tam clare hoc momentum erat pronunciatum. Ergo denominationem a morbi productis deprehensam penitus esse rejiciendam credo, cum ex anni tempore ceterisque conditionibus, morbum praegressis aut concomitantibus

pendeat. Idem censeo de alio charactere, quem ut signum hujus morbi characteristicum multi iique optimi observatores nobis dant, nempe de variis cutis eruptionibus in morbi decursu se monstrantibus. Verum est, in epidemiis maxime saevientibus semper maculas in cute praesertim die quarto quintove erumpere, uti patruus meus D. Schultz in epidemia anno 1813—1814 Biponti grassata observavit; (vide Nachricht an das Publikum, wie man sich bei dem jetzt herrschenden Fleck- und Nervenfieber zu verhalten habe. Zweibrücken den 12. Dezember 1813. 8. 19 Seiten), quam ob rem hic morbus Fleckenfieber, febris cum maculis (maculosa) vulgo nominabatur; alii vero auctores, uti Reuss (Wesen der Exantheme) eum morbis cutis accensere. Etiam novissimis annis in epidemiis maxime saevientibus in pagis nonnullis Biponto propinquis eruptio cutanea jam recensita observabatur.

Alii vero iique boni observatores eundem morbum, et praesertim in epidemiis mitioribus, non semper cum maculis, aut alia cutis eruptione provenire nos docent. Idem in nostra vidi epidemia, licet in paucissimis individuis eruptionem cutis, uti petechia rubra, magno numero a collo ad thoracem et brachia sese extendentia, parvumque temporis spatium durantia, et in eodem corporis loco vesiculas innumerabiles, parvas, rotundatas, uti crystallinas, a serositate pellucida epidermidem sublevante formatas et in stadio repletionis earum, guttulis sudoris simillimas, observaverim.

Galli quoque nonnulli et nominatim Dr. Louis etiam maculas lenticulares, roseas, modice elevatas, parvo saltem numero, praesertim in abdomine, pectore, dorso et brachiis provenientes ut symptoma

hujus morbi characteristicum agnoscunt. Sed Louis, qui successit Doctori Bailly in nosocomio „la Pitié“ dicto, aegre antecessori suo has maculas potuit demonstrare. Et mihi, qui una cum aliis ex amicorum numero, per sex hebdomades in dicto nosocomio demonstrationibus D. Louis accuratissimis adfui, observatione propria vix de earum existentia persuasum est, quippe cum eas in magno aegrotantium numero raro tantum viderim et quidem nunquam valde expressas et distinctas. Ideo nullo modo hoc momentum ad morbi denominationem potest adhiberi. Cum vero morbus omnibus anni temporibus observetur, et non in aestate fervida ejus causa sit quaerenda, uti ex. gr. Puchelt contendit, (vide Heidelberger klin. Annal. Bd. III, pag. 131), et cum in cubiculis pauperum parvis hyeme frigida, fenestris clausis, carceribus simillimis, aeque ac in castris, nosocomiis, navibus et urbibus obsessis se evolvere possit, etiam hasce denominationes eliminandas esse puto.

Nunc ad nomina a sede morbi desumta pervenio. Sunt auctores, qui solummodo in tractu intestinali sedem morbi quaerant: ex. gr. gastro-entérite (Broussais); alii vero tantum in quibusdam ejus partibus uti in glandulis: Dothinentérite (Bretonneau); aut in valvula Bauhini: Ileodyclytite (Bailly); Schönlein eum nominat typhum abdominalem, nempe eum typho suo cerebrali opponit. Alii arctius, alii largius justo ejus sedem designavere, et pauci tantum ejus sedi rectum assignavere locum. Sedem, quam celeberr. D. Piorry sex classibus febrium, a clarissimo Pinel descriptarum, in opere suo recente: „Traité de la non-existence des fièvres essentilles. Paris 1830. 8.“ assignavit, paucis hic adducam:

Ordre 1. fièvre inflammatoire (phlebo-artérite).
" 2. — bilieuse (gastrite)
" 3. — muqueuse (subgastro-entérite).
" 4. — adynamique (gastro-entérite).
" 5. — ataxique (gastro-entéro-encéphalite).
" 6. — pestilentielle (gastro-entéro-encéphalo-adénite).

Sedes autem morbi a me describendi (vide cadaverum sectiones) est in canali intestinali et in ejus annexis. Constanter vero tubus digestivus aut pars ejus alteratione quadam est affecta et inflammata, uti et glandulae mesenteriales, praesertim quae locis in intestino maxime destructis correspondent. Vide Louis, affection typhoïde vol I. pag. 449. „De „toutes les lésions une seule étant constante, ayant „lieu chez tous les sujets, je veux parler de l'alteration „des plaques elliptiques de l'intestin grêle, à la quelle „on pourroit ajouter l'alteration des glandes mésentéri„ques" etc. Hanc ob rem Petit et Serres (in opere, traité de la fièvre entéro-mésentérique Paris 1813, 8. 296 pag.) eum denominavere „fièvre entéro-mésentérique."

Natura morbi hujus contagiosa in capite de causa excitanti probabitur. Haec ob momenta voco morbum nostrum

„entero-mesenteritidem contagiosam"

Lector benevolus rationes, quae ad hoc nomen eligendum me impulerunt, perpendet, et facile perspiciet, me solum loqui de sede morbi primaria, aut ea quae semper provenit. Nam non me fefellit, in certo casuum numero alia organa, et saepius omnes membranas mucosas esse affectas, et hanc ob rem

morbum esse nominandum, affectionem mebranarum mucosarum. Sed cum non semper adsint hae alterationes in gradu apparenti, ejus sedem, uti supra demonstravi, restringendam censeo.

Epidemiae nostrae evolutio cum causis praedisponentibus et excitantibus.

Priusquam vero ad epidemiae ipsius me accingam descriptionem, tempestatum et aeris rationem, hanc epidemiam praegressam eamque concomitantem, exponi, morbosque regnantes adduci e re credo, ut lector horum in epidemiae evolutionis influxum possit comprehendere.

A. Mensis Januarius anni 1830.

a) Barometri status erat:

1mo	mensis	die,	27	pollices	et $8\frac{1}{2}$	lineae,
11	„	„	26	„	„ 8	„
31	„	„	27	„	„ 2	„

maxima ejus altitudo primo, et minima undecimo Januarii erat die.

b) thermometrum Reaumürianum:

1mo	Januarii	die	— 5°
20	„	„	+ 5°
31	„	„	— 15°

Ventus regnans erat Eurus, quem pluries excipiebat Africus; saepius tempestas fuit obscura et nivosa; die vicesimo et vicesimo primo terra hucusque congelata frigore fuit soluta (status thermometri + 5°); sub mensis finem coelum erat serenum et frigus in-

ensum. Morbi hoc mense grassantes erant catarrhosi et rheumatici, scarlatina intermixti.

B. Mensis Februarius anni 1830

a) barometri status erat:

1mo mensis die	27	pollices	et	2	lineae.
10 „ „	26	„	„	10	„
sub finem mensis	27	„	„	6	„

b) thermometrum monstrabat:
principio mensis — 18° et
nono mensis die + 6°.

Principio mensis frigus fuit maximum et tempestas Euro flante serena; die sexto usque ad nonum multae nives Africo flante delapsae. Die autem nono frigore fracto (therm. + 6°) et pluviis continuis nive liquefacta, tota vallis et magna urbis pars inundata est.

Aqua ex anno 1795 non tantae fuit altitudinis, eundem anni hujus statum, si quinque pollices excipias, tetigit. Morbi frequentiores fuere catarrhales et rheumatici sed minoris intensitatis quam mense priori, aliquae pneumoniae et scarlatinae, et morbus noster die decimo tertio mensis Februarii sese monstravit. In temperatura mensium subsequentium nullus cum observaretur saltus, nec aliud quod in morbi evolutionem praecipue agere potuisset, et quum historia epidemiarum antecedentium me docuerit, morbum se posse evolvere omni anni tempore, et omnibus tempestatibus, non e re mihi visum est; spatium observationibus implere meteorologicis, cum ceterum jam brevitatis causa multa facta, uti morbi historiae, sint rejicienda.

Sub finem mensis Januarii, frigore intenso homines, praesertim classium pauperiorum, magno numero

unum et quidem saepenumero angustissimum habitantes cubiculum domi retinebantur, fenestris quidem diligentissime clausis, atque cum nimium ob frigus muniis solitis vacare non potuissent, tota cum familia fornacem carbone fossili plus justo calefactatam, quia cibi in ea praeparari solent, obsidebant. Cibi vero ipsi maxima ex parte in solani tuberosi fructibus frigore nimio congelatis et inde corruptis constabant. Hae conditiones, nempe nimia hominum male nutritorum et sordide vestitorum copia in arctis cubiculis non ventilatis, evolutioni epidemiae faverent necesse erat. His accensenda est etiam animi affectio, quia scilicet plerique nimium ob frigus, quaestum ordinarium parare sibi non poterant. Quodsi origo epidemiae ex contagio exemplis non posset probari, quaeritur, num his influxibus non epidemia se potuisset evolvere, aut saltem receptivitas hominum et contagii actio augeri? Hi enim erant similis naturae uti infra recensendi, a quibus typhus s. d. gallo-russicus originem duxit.

Mense Februario anni 1830 Biponti tam brevi temporis spatio tantus aegrorum numerus, iisdem correptus symptomatibus, a me fuit tractatus, ut facile inde viderim, epidemiam se evoluturam esse, quod mense sequente clarius factum est.

In hac epidemia una cum patruo meo, decimo tertio Februarii die primos hujus epidemiae vidi aegros, ultimus autem die quarto mensis Decembris ad sanitatem reductus est. In universum intra hoc temporis spatium, sexaginta quatuor hujus generis aegri a me

sunt observati, quibus tres alii sunt accensendi, qui, postquam Parisios mense Octobri eram profectus, a patruo meo fuerunt tractati, quosque hic adduco ut summa aegrorum entero - mesenteritide contagiosa anno 1830 a nobis tractatorum nota fiat. Summa igitur hac epidemia a nobis tractatorum, (quamvis sex alii medici praxin medicam Biponti exercebant, ex quibus Dr. Erbelding, quo semper familiarissime usus sum, hancce epidemiam usque ad finem mensis Martii, in dissertatione inaugurali medica „de morbo Biponti epidemice grassato, Monachii 1830, 8°., 24 pag." egregie descripsit) exhibet sexaginta septem, quorum omitto duodecim, in quibus morbi imago non sat clare erat expressa, ita ut solummodo quinquaginta quinque basin descriptionis sequentis constituant.

Urbs vero Bipontum modico rivo ejusque canali, in tres dividitur partes, quarum media urbs κατ' ἐξοχὴν vocatur, aliae vero partes suburbium vetustam et suburbium novum. Urbs ipsa inundationibus fere annuis iisque majoribus minoribusve vexatur, dum suburbia, collibus, qui Bipontum ambiunt, acclinata, ab istis tuta manent. Bipontum a septem hominum millibus incolitur, quorum major pars dimidia urbem habitat. Pars suburbii vetusti, tertiam circiter incolarum partem constituentis, imprimis a pauperiorum classe incolitur, in quorum domibus etiam primo epidemia se monstravit. Suburbium novum autem, quod ab epidemia penitus mansit intactum, septimam vix incolarum continet partem, et quidem fere omnes divites.

In suburbio vetusto etiam maxima aegrotantium pars erat inveniendus, nempe quadraginta quatuor, dum in urbe, quae usque ad mensem Junium, si unum exceperis exemplum, ab epidemia mansit immunis,

undecim tantum aegri a nobis sunt observati, in quibus autem morbus erat pertinacior.

Ordo aegrorum chronologicus.

Aegrotabant mense:

Februario . . .	15
Martio	13
Aprili	1
Majo	5
Junio	4
Julio	3
Augusto . . .	1
Semptembri . . .	6
Octobri . . .	4
Novembri . . .	3
Summa	55.

A mense Julio usque ad Octobrem epidemiae quoad perniciositatem et mortalitatem erat culmen, mensibus autem Februario et Martio quoad numerum. Vides, ut sub diversissimae tempestatis influxu epidemia perduraverit.

Sexus.

Erant 27 sexus masculini et 28 foeminei. Ergo etiam sexus nullius est momenti pro causis disponentibus. Foeminarum nulla cessationis menstruationis periodum excessit, et una morbo eam aggrediente infanti mammam adhuc porrigebat.

Mortalitas.

Ex his quinquaginta quinque individuis quinque sunt mortua, ergo undecimum individuum; subsequente phtysi pulmonali aliud die decimo sexto mensis Martii anni 1831.

Aetas.

Erant usque ad annum			5	. . .	4	individua
a	5	ad	10	. . .	11	„
„	10	„	15	. . .	13	„
„	15	„	20	. . .	7	„
„	20	„	25	. . .	2	„
„	25	„	30	. . .	5	„
„	30	„	35	. . .	4	„
„	35	„	40	. . .	4	„
ultra		„	40	. . ,	5	„
				Summa	55.	

ergo maxima aegrorum pars intra quintum et vicesimum erat annum.

Morbus fuit perniciosissimus apud individua undecim ad viginti annorum. Praesertim morbus in aetate juvenili et virili observabatur, et quamvis quinqne individua annum jam quadragesimum excesserant, notandum, omnia haec fuisse constitutionis sat robustae. Inter eos fuere quatuor viri et una foemina, quae licet quinquagenaria rite adhuc menstruata et validissima erat. Morbus igitur ut plurimum individua aggreditur robustiora, et aetate provecta, saltem epidemiis mitioribus, non reperitur. Verum est, individuum sexagesimum secundum annum agens a me hoc morbo fuisse tractatum, sed huncce virum junioribus comparaveris, uti generatim multa reperiuntur individua, quae saltem annorum numero aetate provectioribus, revera autem junioribus sint adnumeranda. Ergo valde mirandum, a quibusdam iisque clarissimis observatoribus esse notatum, hocce morbo individua quadraginta annis majora non corripi.

Plura individua nostra in urbe etiam symptomata in aliorum morborum decursu prae se ferebant, nostro morbo comparanda.

Causas praedisponentes ex antecedentibus nunc facile possumus intelligere. Licet ex subsequentibus clarius eluceat, morbi causam esse contagium peculiare, tamen alicujus ad contagii receptionem et elaborationem opus est praedispositione. Sunt enim homines, qui in epidemia a. 1813 — 14. Biponti saeviente non affecti fuerint, licet in nosocomiis versarentur et millies aegros tangerent.

C a u s a p r a e d i s p o n e n s nostrae epidemiae fuit, quod nimia hominum male nutritorum, immunde vestitorum et animi pathematibus adfectorum copia, in cubiculo parvo fenestris clausis erat conferta, ubi exhalationibus diversissimis aer erat corruptus; qua de causa iste morbus pauperes praecipue aggreditur.

Ceterum praedisponit aetas infantilis, juvenilis et virilis; sexus uterque pari modo afficitur. Hic morbus omni anni tempore provenit, neque coelo alicui neque temperaturae adstringitur; sub diversissimis enim tempestatibus eam saevire vidimus.

C a u s a m o r b i e x c i t a n s est contagium peculiare, quod ab hominibus eo infectis in sanos transfertur, aut sub conditionibus infra recensendis in corpore hominis generatione aequivoca producitur. Hoc ad probandum, infra epidemias nostram proxime praegressas paucis commemorabo. Contagium vero ab hominibus infectis exhalatum duplici modo sanos potest aggredi:

1) i m m e d i a t e (licet in sensu latiore in omni contagione agens quoddam, inter duo individua, aegrum et sanum sit supponendum) i. e. translatione con-

tagii immediata ab individuo infecto ad sanum, nempe si homo sanus in atmosphaera, aegri exhalationibus impraegnata, versatur, aut attactu ejus, ex gr. sudore etc. inficitur.

2) m e d i a t e; si contagium extra aegri atmosphaeram a materiis eum facile excipientibus in alia transportatur loca, ex. gr. vestibus, cannabi, lino, stramine, foeno, charta, aliisque rebus imprimis asperis et porosis, atque aeger iis inficitur.

Hic autem quaestiones oriuntur, quae vix sufficientur possint enodari.

1. Qua ratione nostrum contagium se evolvit?
2. An individuum hoc morbo affectum in omnibus morbi stadiis aliud inficere potest?
3. Quamdiu contagium materiis supra nominatis potest inhaerere, quin decomponatur, et hac re actio ejus impediatur?
4. Quamdiu contagium in hominis corpore sine ulla reactione potest versari?
5) Danturne gradus intensitatis contagii, a quibus haec pendeat reactio? etc.

Primam ad quaestionem explicandam multa in epidemiae historia allegabuntur exempla; pauca tamen valeo afferre, quibus ceterae quaestiones magis perspicuae possint fieri, licet sim propensus gradus intensitatis contagii admittere.

Historias epidemiarum hujus morbi, quae praesertim in bellorum pertinacium et devastantium cursu, aut alias ob conditiones homini nocivas, infra recensendas sese evolverunt, ex omnibus temporibus haud parvo numero, easque diversissimis sub nominibus

habemus. Difficilis quidem res est, sed certe medicinae utilissima, summam praecipuarum harum epidemiarum in unum colligere opus, ex quo contagiosa morbi hujus, semper fere in hac illave provincia epidemice grassantis, natura possit probari. Etsi pluries jam hic morbus epidemice nostram invasit urbem, volo tamen recurrere tantum ad novissimam magnam hujus morbi epidemiam, cum nostra pluribus epidemiis junctam, quas succedaneas, secundarias aut modificatas voco, quia ab epidemia primaria, tam perniciose se monstrante recedunt, uti varioloïdes a variolis.

Novissima et quidem perniciosissima epidemia primaria erat, quae durante bello gallico-russico anno 1812 in Russia originem duxit et usque ad nos per Poloniam, Borussiam, Saxoniam ceterasque terras, viae militari adjacentes, sub finem mensis Novembris 1813 pervenerat. Sese evolvit hic morbus iisdem sub conditionibus, uti in epidemiis jam prius descriptis, ubi nempe multi homines extrema inopia, miseria et calamitate, tempestatumque injuria pressi, in parvum erant spatium conferti, quod durante bello hoc pertinace, praesertim in urbibus obsessis saepius factum est, unde etiam ejus denominatio in hoc bello „typhus bellicus" et ob originem in Russia et Polonia, „febris russico-polonica." Medicorum plurimi eum nominavere etiam typhum contagiosum, ob contagiosam ejus naturam, febrem petechialem (Fleckenfieber) quia in hac epidemia fere semper maculae rubrae aut aliter coloratae observabantur. Vide:

Nachricht an das Publikum. Zweibrücken 1813, et

Fux, diss. de typho contag. Mogunt. 1816;

ubi historia hujus epidemiae, quae apud nos obser-

vabatur, enarrata est. Galli fugati patriam petentes, ceterarumque nationum milites eos persequentes, viam s. d. imperatoriam, quae Moguntiam Parisiis conjungit, maximo numero obsidebant et omnes urbes pagique huic viae adjacentes, militibus, in quorum numero magna hoc morbo aegrotantium, morientiumque erat copia, plus justo implebantur. Immanis erat barbaria, quo jussu ducum, aegri morientes et ipsa cadavera, plaustris a pauperibus rusticis advecti, in domus nostras recipi debebant, licet omnes haud ignorarent, nobis quoque mortem hac crudelitate afferri. Insuper a rusticis milites hosce vehentibus, vestimento nunquam mutato et stramento, quod erat contagio impraegnatum epidemiae transplantatio in diversos pagos accelerata fuerat. Etiam in nostram urbem, quae duas saltem horas ab hac via imperatoria distat, contagium hocce transplantatum, a mense Novembri a. 1813 usque ad Majum s. a. maxime saeviebat. Equidem licet tunc puer octo annorum, adhuc memor sum miseriei, in quam nos hic morbus praecipitaverat, quo permultae familiae, sicut et nostra, pluribus membris privata, quin etiam integrae familiae morte fuerant correptae. Plurimi clericorum et medicorum erant hoc morbo affecti, et cadaverum tantus fuit numerus, ut non rite sepeliri possent, sed plures in unam fossam conjici deberent. Homburgi, quod est oppidum 2000 incolarum, et nonnisi duas horas a Biponto distat, per quod ipsa via ducit imperatoria, uno mense plus quam quinquaginta hac lue perierunt. Initio illius epidemiae culmen erat, quod omnes, qui contagium a militibus immediate recepere, gravissime erant affecti, et aegre tantum aliqui morti fere semper certae se subduxerant. Sen-

sim sensimque pestis haec mitior facta, sub finem mensis Maji ferme penitus cessavit. E diario clinico patrui mei multa facta possem proferre, quibus epidemiae hujus et historia et via demonstrari potuissent. In plerisque nostri circuli pagis saeviebat lues, et quod maxime dolendum, hodie nondum ejus vexationibus liberati sumus. Hieme $18\frac{30}{31}$ in pago Webenheim, quod duas horas a Biponto situm est erupit, et inter septingentas incolas octoginta agressa est, ex quibus tredecim hic morbus absumsit. Biponti vero quovis fere anno se monstrabat in domibus, ubi contagii origo facile potest inveniri. Modo regnabat plus minusve sporadice, modo epidemice. Post epidemiam primariam a. 1813—14 autem, plnries nostra in urbe epidemiae secundariae aut subsequentes grassabantur, quod etiam facile factis e diario patrui mei haustis probare possem, si libelli hujus spatium hoc non vetaret. Acta etiam exstant, quibus regimen circuli nostri descriptionem status sanitatis has ob epidemias a patruo meo petiit, qua in causa semper ad epidemiam a. 1813—14 recurrere fuit coactus. Vide etiam Lesage in opere jam citato pag. 385, ubi de epidemia (secundaria) anno 1821 in schola militari, quae St. Cyr. est, grassata loquitur: „Nous sommes autorisés à regarder l'affection morbide „comme identique avec le typhus (a. 1814)."

Epidemiae secundariae graviores Biponti erant a. 1818 et quidem mense Aprili, ubi inter octo aegrotantes quinque obiere; tum a. 1824, ubi inter quinquaginta duo aegros anni cursu a patruo meo tractatos, novem sunt mortui; et anno 1830 epidemia a me describenda; a. 1831 etiam licet sporadice idem a nobis observatus est morbus, attamen nonnulla contagiosita-

tis ejus colligebamus exempla, cum fere semper in habitationibus, ubi prius hoc morbo aegrotantes erant, aut apud homines qui commercium cum iis habebant, se monstrasset. Quis porro naturam hujus morbi contagiosam neget?

Morbum hunc epidemice nostra in urbe grassatum, certo esse contagiosum ejus decursus ostendit; nam raro solummodo unum individuum eorum, qui convictu utebantur communi, corripiebatur, sed in eadem familia, modo cito, modo diversis temporibus plures, quibus multum apud aegros versari necesse erat. Si epidemiae invasio a tempestate solum pependisset, cur non pagi Biponto proximi inter easdem, imo pejores conditiones positos morbo sunt correpti? Cur non subsequentibus mensibus, ubi conditiones quibus morbi evolutio assignari potuerat, nullam plane exercebant actionem, morbus cessavit ipse, aut mitior factus est, cum contra mense Septembri maligniorem se ostendisset? — Vallis, ipsiusque urbis inundatio, cibi corrupti, hyems frigidissima, qua homines cubiculis retinebantur, aliaeque conditiones, quas ut epidemiae faventes designavimus, jam pluries proveniebant, quin se entero-mesenteritis contagiosa evolverit. Insuper morbus prius in parte urbis editiore, quam in habitationibus aqua maceratis, et rivo jam intra ripas coercito adhuc longum per tempus humidissimis se ostenderat.

In ejusmodi epidemiis maxime saevientibus cuique medicorum facile de contagiositate morbi persuasum est; in iis vero, quae mitiore incedunt gradu, nonnulli de ea dubitant. Maxima pars observationum de hoc morbo in nosocomiis facta est, ubi praesertim qui domi ali non possunt, recipi solent. Quum vero

ad contagii receptionem et elaborationem, receptivitate quadam sit opus, et ea in corporibus sibi cognatis major sit, medici privatam exercentes praxin et totas familias tractantes, melius de contagiositate possunt judicare, quam qui nosocomiis adstricti, aegros promiscue recipiunt; sic ex. gr. clariss. D. Chômel, in nosocomio parisiensi „l'Hôtel-Dieu" dicto, nulla contagiositatis collegit exempla, in praxi autem privata nonnulla observavit. Attamen exempla, medicos nosocomiorum ipsos infici, non raro et nominatim Monachii vidimus. Quumque morbus potissimum pauperes aggrediatur, et medicorum sit ex more juniorum eos curare, a medicis, qui nomen jam habent et scribunt, hic morbus non tam saepe observari poterit, quam a junioribus.

Morbi descriptio.

Morbum ipsum plerique auctores in stadia dividunt, uti Hildebrand (über den ansteckenden Typhus. Wien 1814, ed. II.) in octo et quidem

1. stadium infectionis,
2. — opportunitatis,
3. — invasionis,
4. — inflammatorium,
5. — nervosum,
6. — criseos,
7. — decrescentiae,
8. — reconvalescentiae.

Plurima haec quidem momenta, a medico hoc magno in tractatu suo exposita, etiam in nostris ob-

servata sunt aegris. Equidem, non tractatum hoc de morbo, sed tantum observationes aliquas editurus, ea solum, quae synopsis casuum quinquaginta quinque a me observatorum me docuit, hic paucis commemorabo. Quamvis morbus etiam nostra in epidemia cum prodromis quibusdam apparuerat, tria tamen priora momenta non semper sat distincte in lucem prodiere, imo nullum mihi notum est exemplum, ubi infectio momentis conspicuis erat notata; eadem ratio est invasionis et pro parte criseos.

Aegros a me tractatos in quatuor divido classes. Classis I. complectitur individua novem, in quibus morbus adhibitis emeticis in prodromorum stadio repente frangebatur, ejusque quasi abortus, venia sit verbo, inducebatur hoc remedio. In iis totus morbus, (nam prodromi a morbo ipso non possunt separari) tres ad quatuor dies solebat durare, licet unum individuum jam per quatuordecim dies prodromis laboraverit.

Classis II. continet viginti quinque aegros, qui ad stadium delirii soporisque profundi non pervenerunt, licet in genere per viginti unum ($20\frac{20}{21}$) dies aegrotassent. Apud unum vero individnum reconvalescentia jam die septimo subsecuta est, apud alios denique die vicesimo quinto. Notandum est, me, de duratione morbi loquentem, id temporis spatium velle significari, ubi aegris medici auxilio opus erat.

Classis III. eos continet, in quibus morbus ad summum pervenerat gradum, et in genere triginta quatuor ad triginta quinque duaverat dies ($30\frac{4}{20}$), licet individua reperta sint, apud quae jam decimo quinto die reconvalescentia in conspectum venit, alia vero in quibus morbus ad quadragesimum nonum se

prolongavit diem. Erant haec viginti unum numero. — Si ex his quinque demeris individua, quae occubuere, constituitur.

Classis IV. Occubuere autem in genere die vicesimo octavo; alii vero jam die vicesimo primo, alii die tricesimo sexto mortui sunt.

Licet res sit fere semper plus minusve arbitraria, morbos in stadia dividere, tamen meam hac de re emittam opinionem. Observavi nempe:

1) stadium prodromorum; a symptomatum ingressu usque ad febrem, quae majori intensitate sese monstrat et aegros lecto affigit, in genere duo ad octo ad quatuordecim dies durans. Classis prima aegrorum nostrorum ad hoc pertinet stadium;

2) stadium inflammatorium, ab hoc periodo, licet symptomata inflammatoria in genere non sint valde conspicua, usque ad initium delirii soporisque profundi durans et quidem octo ad quatuordecim dies. Classis secunda aegrorum huc est referenda;

3) stadium delirii soporisque profundi; ab his momentis usque ad horum abitum in genere quatuor ad sedecim dies durans;

4) stadium decrementi, usque ad sanitatem se protrahens et quidem per octo, quatuordecim, viginti unum dies, quandoque plures per septimanas imo menses.

Morbus semper incipiebat cum symptomatibus gastricis, cerebri et sensuum paulatim se evolventibus; nunquam vero momentum infectionis singulari aegri sensu erat notatum, uti aliqui observatores et etiam D. D. Ringseis nos docent, qui medicos ad aegrorum

lectos stantes, repente infectos viderunt. Exempla hujusmodi in epidemiis gravioribus haud rara esse videntur.

In epidemia a me observata symptomata sequentia in scenam prodiere:

Morositas et taedium munerum solitorum; cephalalgia praesertim frontalis; magna totius corporis lassitudo et segnities, cum extremitatum et imprimis inferiorum gravitate; ciborum desiderium aut nullum, aut fastidium; pressio in regione epigastrii; sapor amarus, pastaceus; oculi, quorum conjunctiva saepius plus minusve erat injecta, languentes, nitore splendoreque carentes; pulsus ut plurimum vix febriles, modice accelerati, pleni, molles, facile comprimendi; cutis non sat transspirans. Cum his symptomatibus se consociarunt saepe nausea, imo vomitus materiae biliosae, imprimis tempore matutino; ceterum lingua quandoque pura, quandoque muco albido est obtecta; proclivitas ad somnum sed nullo modo reficientem; interdum cum primis morbi signis adfuit, dolor in cervice, dorso aut vertice; alvi obstructio in morbi principio saepius quam diarrhoea observabatur.

In morbi decursu omnia haec symptomata graviora evadunt; symptomata febrilia augentur, praesertim vespere exacerbantia, uti cephalalgia et vertigo; et aegri antea adhuc titubantes et obambulantes, nunc maxime debilitati lecto affiguntur; cutis, cujus color potius pallidus est, nunc sicca evadit; lingua etiam sicca, rarius nunc pura, semper fere muco albido flavescente praesertim basin versus est obtecta, marginibus adhuc humidis, papillis vero, praesertim apicem versus plus distinctis rubrisque; sitis plerumque adaucta, et praesertim aquae purae aut potus

aciduli desiderium; apud magnum aegrorum numerum alvi obstipatio persistit, apud plures vero alvus est diarrhoica, flavo virescens et foetida. Per alvum et vomitum saepe ascarides ejiciuntur lumbricoides, nunquam vero in excrementis licet maxima cum attentione examinatis trichocephalum disparem invenire potui; aegri plerumque nullum penitus accusant dolorem, et tarde tantum, sed rite adhuc medico quaerenti respondent; interdum vero dolorem percipiunt obtusum in abdomine, praecipue circa umbilicum, pressione vero fortiore imi ventris, praecipue in regione valvulae ileo-colicae semper fere dolor excitatur.

Nunc cum exacerbationibus vespertinis saepius congestiones caput versus junguntur, cephalalgiam valde augentes; horripilatio accedit et in pluribus casibus epistaxis, et quidem semper cum cephalalgiae levamine observatur; urinae organa raro afficiuntur, et tantum in uno casu nisus erat vesicam saepius levandi, in aliis vero dysuria; urina ipsa ut plurimum erat pallida quandoque plus tincta cum nubecula.

NB. Observavi diligenter urinam et nominatim nubeculae s. d. formationem, quae modo fit sequente. In urina prius vix non sat pellucida, flocci formantur leves, se in tota urinae massa primum suspendentes, tunc agglomerantes et demum vasis basin quaerentes. Autores igitur, qui de nubecula suspensa loquuntur, urinam, antequam haec nubecula ad basin delapsa erat, observasse credo.

Respirationis organa rarissime adfecta erant, et nonnisi in paucis casibus symptomata catarrhosa aut affectionis pleurae observabantur. Sed quasi symptoma characteristicum physiognomiam s. d. typhosam agnosco: aeger adspectum praebet, hominis vino aut

aliis spirituosis nimis onerati simillimum; dolore caret, tardeque respondet; cutis est sicca; oculi languescunt; labia tumentia inter se distant; dentes sicci prominent, interdum etiam aliquas lineas inter se distant; facies plus minusve est decomposita.

Symptomatum series modo descripta non in omni occurrit aegro, imo multa deficere possunt, quin morbi alteretur imago.

Si remediis infra recensendis et imprimis emeticis, quibus materia biliosa, crassa, mucosa, imo bilis spissa, vernici ex oleo lini confectae simillima evomebatur, nimiam ob morbi intensitatem ejus progressus limitari non poterant, saepius ex improviso omnia symptomata exacerbata sunt, et aeger in stadium typhosum pervenit. Aeger in sopore profundo modo per horam quiete manet, modo delirat, modo phantasmatibus diversissimis maximaque anxietate vexatus, est inquietissimus, conatur aufugere; interdum assidue in lectulo huc atque illuc se jactat, et lamentationibus adstantium cruciat animos. Sensuum usus saepius aboletur, primo auditus et linguae, demum visus, dum oculi quasi emortui in capite jacent. Subsultus tendinum, aliaque similium symptomatum series nunc in scenam prodit; cutis arida, calorque ejus mordax; pulsus maxime accelerati, parvi, saepius filiformes; exacerbationes vespertinas saepius horripilationes antecedunt; lingua, quam aeger tremulam ostendit, siccissima, crustis mucosis, crassis, brunneonigris est obtecta, et fissuris saepius profundis intermixta; dentes simili indumento praesertim basin versus luridi; in pharynge eandem in numero quodam aegrorum invenimus massam; nares quasi fuligine sunt obstructae, et aeger praecipue hanc ob causam aperto respirat ore; urina involuntarie defluit, sicut et sedes quae aquo-

sae sunt, foetidissimae, varie tinctae et frequenter praesertim noctu aegrum vexantes, valdeque extenuantes. Etiam lipothymiae in aliquibus observabantur. Meteorismus raro aderat.

Haec morbi nostri imago. Nisi jam in stadio prodromorum emeticis erat fractus, aut saltem ejus decursus mitior factus, aegri in stadium typhosum venerunt, quod morte apoplectica cum rubore faciei intrante aliquando finiebatur, nisi reconvalescentia in omnibus fere aegris lentissime decurrens inciperet. Reconvalescentia ipsa aut lysi aut crisi se sistebat. Crisis autem ut plurimum sudore, et quidem copioso, singularique odore praedito, fuit facta, rarius urina sedimentosa. Cutis nunc sudat; lingua in dies fit humidior, crustasque sensim sensimque abjicit; oculi vividiores evadunt. Sed debilitas maxima et proclivitas ad somnum adhuc longum in tempus perdurant. Diarrhoea paulatim cessat. Notatu dignum est, sinapismos durante morbo adhibitos, cutisque colorem tunc vix alterantes, ineunte reconvalescentia saepe fortissimae fuisse actionis; imo gangraenam superficialem in cute antea sinapismis tectam observavi.

In nonnullis casibus, cum durante reconvalescentia nimia ciborum quantitas ingesta esset, aut aegri se frigori exposuissent, morbum secundarium vidi accedentem, qui iisdem se sistebat symptomatibus, uti morbus praegressus, licet mitioribus (vide tabulam aegrorum in fine dissertationis) uti in No. 3, die 28mo mensis Februarii incipiens et usque ad diem 27mum mensis sequentis, ergo 28 dies durans; tum in No. 16. die 18 — 28 mensis Aprilis, ergo 11 dies durans; demum in No. 33. Observavi etiam in cursu reconvalescentiae anginam tonsillarem abscessu termi-

natam (No. 5); pustulas in abdomine magno numero se evolventes, easque dolorosas, variaeque magnitudinis, nodulosque in brachiis et febrem tertianam et epistaxin enormem morbum praegressam (No. 37); extremitatum inferiorum leucophlegmasiam (No. 19); orchitidem dextram cum blenorrhoea urethrae levi (No. 28), (nunquam affectione syphilitica prius hic vir erat affectus). Unum individuum phtysi pulmonali tuberculosa insequente est mortuum die 16to m. Martii a. 1831 (No. 52); et aliud, dum haec scribo, adhuc aegrotat (No. 42). Apud Nrum. 22. serius febris tertiana secuta est, et in No. 26. morbum praecessit. In No. 34. mense Junio morbus maculosus Werlhofii in lucem prodiit.

Diagnosis.

Aegroti physiognomia signum in hoc morbo est characteristicum, quod vero describi non potest, sed in lecto aegri solummodo observatione strenua eaque repetita doceri (vide morbi descriptionem). Nam diarrhoea in maximo aegrorum numero observata, etiam in multis aliis provenit morbis, sicut et alia symptomata gastrica. Maculae non in omnibus observantur epidemiis, ideo non possunt dare symptoma characteristicum. Dolor in regione ileo-colica fortiori pressione excitatus, symptoma est fere constans et magni momenti; in genere autem solum aegri physiognomia optimum signum. Multa hic alia momenta potuissem proponere, quae tamen in morbi descriptione invenire poteris, quare hoc loco ea omitto, ne repetitionibus nimiis spatium impleatur.

Contagium primo in membrana mucosa ilei et in glandulis mesenterialibus correspondentibus sedem

sibi eligere videtur. Hic morbi fomes. Sensim tractus digestivus totus afficitur cum ejus annexis et tum in vasa (sanguis jam morbi principio alterari videtur) cor, nervos et cerebrum processus morbificus se conjicit. Cum vero alterationes, uti autopsiis docemur, potissimum et constanter in membrana mucosa ilei et glandulis etc. inveniantur, ceteras laesiones uti secundarias habeo.

Prognosis

in hoc morbo pernicioso semper est anceps, cum multi a me sint observati aegri, in quibus morbus mite videbatur procedere, ubi vero repente status typhosus apparuit, periculum portendens maximum.

Prognosis est fausta apud homines plus annis triginta sex natos, fausta apud eos, qui emetico usi multo melius se habent. At infausta est, si morbus cum diarrhoea magna incipit, praesertim apud homines undecim ad viginti annos natos. Bona signa sunt, si sudor aut urina jumentosa vel sedimentosa conspicitur; signum vero faustissimum, si sinapismi antea nullum producentes effectum, postea actionem fortissimam exercent, aut si aliae cutis telaeque cellulosae subcutaneae observantur affectiones, excepta gangraena ex decubitu.

Therapia.

Ex omnibus medicamentis, quae a nobis huic morbo opponebantur, emetica summum obtinent locum. Quid mirum! Natura nobis ipsa viam monstrat, quum morbus semper incipiat cum appetitus ciborum defectu, sapore pituitoso-amaro, pressione in epigastrio, nausea, vomituritione et ipso vomitu ma-

teriei biliosae cum levamine aegri, atque etiam cephalalgia, quae certissime principio a causis gastricis pendet. Emetici actionem semper sequitur levamen, imo emeticis justo tempore, i. e. morbi principio adhibitis morbus ipse cedit, quod novem exempla in epidemia nostra observata nos docuerunt. Contagium hic non sat fixum, una cum materia bilioso-mucosa evomita, aut sudore emeticis moto eliminata esse videtur. Revera tanta est vis emetici in totum organismum, ut ipse hoc remedio penitus mutari videatur, et naturae vires ita eliciantur, ut contagio, licet vehementissime luctante victo, omnia morbi symptomata evanescant. Apud omnes a me in hac epidemia tractatos emetica adhibebantur, eaque semper cum aegrotantium levamine. Apud novem individua (vide pag 29.) jam supra notata sudor emersit criticus, qui autem processui morbifico finem attulerat. In decursu morbi aliorum, pluries, bis, ter imo quater in auxilium vocabantur emetica.

Cur autem emetica propinantur, quibus irritatio valde potest augeri, cum morbus in inflammatione intestinorum aut alicujus eorum partis constet? Haec methodus rudis primo adspectu videtur, sed ex sequentibus facile videre poteris, eorum actionem minime periculosam esse, uti nonnullis videtur medicis. Galli, vim irritantem hujus remedii metuentes, emetica fere nunquam in usum vocant; imo perforationes intestini ab emetici actione magna ex parte censent pendere. Inter quinquaginta quinque aegros a me tractatos solummodo quinque morbo perierunt, sectio in quatuor cadaveribus instituta et imprimis tractus digestivus maxima cum attentione examinatus est; sed perforatio nusquam observata. Parisiis vero, ubi hyeme

praeterlapsa multorum hoc morbo defunctorum adfui sectionibus, pluries vidi perforationem intestini.

Qua de causa quaeritur, anne materiae acres, pituitosae, biliosae, corruptae, quae in canali accumulantur intestinali, nisi emetica in usum vocentur, potius intestini faveant perforationi? In Germania saltem, ubi saepissime emetica adhibentur, rara avis est haec perforatio, dum in Gallorum observationibus haud exiguus ejusmodi perforationum numerus potest animadverti. Idcirco, cum materiae acres et irritantes emetici actione e canali eliminentur intestinali, minime credo perforationum causam hoc in remedio egregio posse inveniri, imo irritationem intestinorum ab eo imminui contendo. Licet facta hic loquantur, attamen non possum praetermittere locos aliquos de emeticorum nostro in morbo praestantia.

Th. Willis in pathologiae cerebri et nervosi generis specimine. Amstelod. 1668, 16., dum de febre epidemica anomala a. 1661 grassata loquitur, pag. 121 dicit:

„imprimis vomitoria statim a morbi principio ad-
„hibentur, haec enim non modo coctionis viscera
„evacuant, adeoque morbi fomitem primum atque
„originalem subducunt, ... ab emeticis, in
„quantum lymphaeductuum exceptrices cum suc-
„cussione magna vellicitantur, succi nervosi super-
„fluitantes, ne cerebrum ejusque appendicem male
„afficiant, in viscera inferiora exprimantur; et

G. Baglivi in opp. omn. Antwerp. 1715, 4., pag. 136.

„Qui febrium initiis conatum vomendi habuerunt
„et negligentia medici, vel naturae debilis im-

„potentia non vomuerunt, progrediente morbo
„gravissimis correptos diarrhoeis saepissime vi-
„dimus.

Jos. de Plenciz in observ. med. Viennae 1778, 8., pag. 208.

„solum emeticum secunda aut tertia die datum,
„copiosa evomita pituitosa cum bile totum mor-
„bum saepissime succidebat.

J. G. Zimmermann, von der Ruhr rc. rc. Zürch 1767, 8. dicit pag. 27 et 28.

„In dem Faulfieber kam alles auf die geschwinde
„Ausleerung der galligten Materie an: Das Fieber
„blieb weg, sobald die verdorbene Materie zuver-
„lässig weggeschafft war, auch schien mir auf diese
„Weise die Cur dieser sonst so furchtbaren Krank-
„heit gar nicht schwer; denn ich habe eine Menge
„Faulfieber in 2, 3, 4, 5 und 6 Tagen geheilt,
„ein kräftiger Beweis, daß eine gute Methode
„das beste specificum ist.

„Ich machte mir sogar kein Bedenken, die
„Ausleerung noch zu betreiben, wenn die Gefahr
„schon groß schien, und wenn andre Aerzte den
„Kranken schlechterdings seinem Schicksal überlassen
„hätten; denn ich gab bei der tiefsten Schwach-
„heit und mit dem besten Erfolge am 11ten, auch
„sogar am 20sten Tage.

Permulta ex antiquioribus recentioribusque auctoribus de utilitate emeticorum hoc in morbo allegare possem exempla, ni dissertationis spatium hoc vetaret. Adnotandum vero est, hominibus nostra in epidemia de emeticorum praestantia ita persuasum fuisse, ut

saepenumero primo prodromorum ingressu ab aegro ipso postularetur emeticum, praesertim in familiis, ubi jam plura hoc morbo laboraverant individua, et ubi iisdem exemplis contagiositas morbi semper clarior facta est. Doleo adhuc hodie, quod foeminae cuidam, a me emeticum desideranti, id non propinaveram, cum fortasse hoc medicamento morbus in maximo se evolvens gradu praecaveri potuisset. Emetica sequentia applicabantur: tartarus emeticus, si diarrhoea non aderat; tartarus emeticus cum Ipecacuanha, si diarrhoea saltem erat modica; Ipecacuanha sola aut apud subjecta magis sensibilia Emetinum, si diarrhoea insignis erat. Emetinum vero non semper actionem implet desideratam, idcirco non semper ei fidere possumus.

Si alvi obstipatio aderat, solvebatur ea laxantibus mitioribus, quibus massae pituitosae, biliosae, foetitissimae, quandoque vermibus mixtae dejiciebantur. Quibus mihi persuasum est, diarrhoeam, quae in morbi decursu saepius pertinacissimam se sistebat, fuisse praecautam, quae in genere potissimum a saburrae actione et membranae mucosae inflammatione pendeat. Laxantia sequentia applicabantur: decoctum prunorum, tamarindorum, infusum sennae cum manna, tinct. rhei aq., tart. boraxt., phosphate sodae aut aliis salibus et saepissime calomelanum. Laxantibus anthelmintica quaedam interdum addita sunt. Sic evacuabantur intestina, sed cito saepius accumulabatur nova saburrae massa, quae ad remedia recensita redire me cogebat.

Ceterum, si fieri poterat, e cubiculo aegri ceteri lecti, aeris puritatis causa removebantur; lectus vero aegrotantis ipse ad fenestra, aut inter fenestram et

portam ponebatur, ut aer semper renovari posset. Hoc remedium erat maximi momenti aegris tractandis. Lesage in opere citato etiam de epidemia anno 1821 in schola militari, quae St. Cyr est, loquens, pag. 379 et 380 dicit:

„Les médecins imbus des préjugés de la nou-„velle doctrine, crièrent à la gastro-entérite, „adoptèrent un traitement analogue et en con-„sequence déployérent leur appareil formidable „de sangsues qui furent prodigues outre mesure .... „On fut bientôt obligé de revenir à un traitement „plus rationel. On fit évacuer prudement les élèves, „en les renvoyant chacun chez eux; et on trans-„porta les malades à Versailles, ou ils furent „éloignés dé l'Ecole, et soumis à l'influence d'un „nouvel air. Par ce moyen ou parvint à détruire „les germes contagieux qui sembloient deja se „montrer à l'Ecole."

Ratione potus ordinabantur, si diarrhoea non erat nimia, aqua pura fontana, aut cum acido tartarico et saccharo mixta, aut lac ex butyro confecto reliquum. Saepius etiam praescripsi pulverem ex

Acidi tartarici
Gum. arab. aa. dr. I
Sacch. alb unc. II

conflatum, de quo pro poculo vitreo 1—2 cochlearia parva sumebantur. Si diarrhoea vero magna aderat propinabantur; decoctum hordei, alth. c. liquir., gramin., tarax. etc.; in universum remedia mucilaginosa, et nisi evacuatio erat instituenda, solummodo emulsio gummi arabici, aut saepius duntaxat potus ordinabatur mucilaginosus. Imo aegri aliqui a me tractabantur, in quibus nil ordinavi nisi emeticum,

potum aquae frigidae et positionem lecti inter fenestram et portam; licet gravissime essent affecti, tamen ad sanitatem sunt reducti.

In plethoricis, praesertim morbi principio, licet raro, venaesectiones brachii fuerunt institutae, sed nunquam magno cum fructu. Sanguis ipse nunquam crustam induens inflammatoriam, potius erat dissolutus et sero permulto eoque flavescente imbutus; uno in casu serum erat lactescens (Nro. 29).

Si congestiones caput versus fortiores evadebant, ad tempora aut emissoria Santorini hirudines apponebantur, numero 12 aut 16, quod quidem levamen momentaneum attulit. In similibus casibus etiam capiti tonso epithemata aquae frigidae in vesica contentae, applicabantur, sed haud magno cum eventu. Idcirco etiam affusiones cum aqua frigida, non in usum sunt vocatae, quibus medici in epidemia a. 1813—14 grassante prospere utebantur.

Cutem irritantia sub diversis formis applicabantur, ex. gr. praecipue morbi principio et in ipsius quoque decursu lotiones cum aqua chlorata et quidem semper cum aegri levamine, tum etiam cum aceto, aut infusione sem. sinap. cum aceto facta, (unc. II. pro libr. I.)

In stadio soporis vero in genere etiam remediis jam recensitis aegri tractabantur. Nonnunquam et stimulantia adhibebantur, uti infus. valerianae etc.; ad quem in casibus tantum gravissimis me recurrisse confiteor, quin vero unquam stimulandi methodum bonos fructus protulisse viderim, uno excepto casu, in quo (No. 5) moschi applicationem (ordinata sunt gr XII in II pulveribus intra horam sumenda) sudor secutus est criticus, quo remedio forsan aeger a-

morte ereptus est. Emulsionibus etiam interdum camphorae grana I—IV addebantur, quod autem nullam in aegrum actionem singularem proferre videbatur.

Sinapismata etiam variis corporis locis superponebantur, praecipue vero abdomini, et quidem repetitis vicibus. Diaeta fere semper tenuis ordinabatur et in paucissimis casibus cremor hordaceus aut oryzae concedebatur.

Tali methodo aegros meos tractaveram, quare, si epidemia similis proveniret, simili therapia uterer. Ceterum habeo persuasum, in aliis hujus morbi epidemiis modificationes aliquas in therapia esse instituendas, cum in tota medicina regulae tam fixae non possunt statui, et cum therapia usque singulis accomodari debeat casibus.

Generatim evacuationibus rite institutis, interne demulcentia, externe stimulantia in usum vocavi, semperque ut aer purus esset curavi.

Morbo decrescente, et reconvalescentia ineunte, decoctum corticis chinae et sulphas chininae reditui sanitatis foverunt. Sensim sensimque etiam diaeta, sed cautissime ita mutata fuit, ut tantum lentissime vehementius appetentibus cibum satisfieret. Obambulatio coelo sereno valde reconvalescentiae fovebat.

Cadaverum sectiones.

Apud omnes hoc morbo defunctos autopsia fuit instituta, si unum excipias, qui, postquam jam Parisios me in viam dederam, supremum obiit diem. Sed apud omnia cadavera solummodo abdominis cavum apertum, uno excepto, in quo mihi permissum fuit

tres cavitates examinare; autopsiis jam alibi a me institutis certior factus, in cavo abdominis quasi morbi fomitem esse quaerendum, hocce cavum prae aliis examinavi. Ceterum etiamsi tempus mihi fuisset, in defuncti domo omnes inspiciendi cavitates, id parentes non semper permisissent. Nam omnibus autopsiis unum alterumve familiae membrum adfuit, et ut in praxi privata sectio possit institui, semper permultae explicationes et solamina medico praesto sint oportet, quibus taedium hujusmodi operationes concomitans possis removere. Jam ad rem ipsam aggrediar.

Membranae mucosae totius corporis in hoc morbo possunt affici et afficiuntur, earumque destructiones diversas, plus minusve extensas autopsiis institutis observamus.

Intestina tenuia: Cavo abdominis aperto intestina sicut et omentum saepius rubro-brunnea inveniuntur, et loci qui ulceribus instestinorum correspondent jam colore membranae peritonealis saturatius tincto rubro-coerulescente cognosci possunt; membrana mucosa infimae ilei partis semper maxime est adfecta et quidem primum in hoc morbo videtur affici, cum laesionos ejus constanter nobis obveniant fere semper maximae, et quum interdum quasi eorum retrogressus ad statum naturalem observetur apud homines reconvalescentes aliis affectionibus et quidem accidentalibus defunctis. Observamus autem imprimis, glandulas peyerianas esse affectas, easque videmus plus minusve volumine auctas, lineas plures interdum membrana mucosa elevatas, emollitas, inflammatas, rubras, griseas, brunneas diversissime sed semper saturatius tinctas, quem statum vero earum sequitur ulceratio:

Ulcus vero in glandulae medio fere semper originem trahit, semperque ad glandulae peripheriam concentrice sese extendit. Ulcera vidi et in spiritu vini conservo, $\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ pollices longa, et $\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ pollices lata. Ulcus vero ipsum marginibus gaudet, fundum ejus valli instar ambientibus, qui in eorum medio saepe ita prominent, ut quasi suffossi videantur. Fundus ulceris adspectum praebet luridum, diversimodo tinctum, modo rubro-coeruleum, modo flavo-griseum et materiam secernit saniosam. Quandoque quasi insulas aut elevationes (rudimenta membranae mucosae) continent; hi sunt sine dubio fungi de quibus D. Heusinger loquitur (vide Bericht der anthropotomischen Anstalt zu Würzburg 1826, 4.). Destructa membrana mucosa, et serius tela cellulosa subjecta, in qua uno in casu (No. 45) valvulam versus ileo-coecalem infiltrationem vidi sanguinolentam, nunc tunica muscularis aggreditur, itaque alteratur, ut primo fibrae ejus circulares volumine augeantur et in processus destructricis fines recipiantur. Saepissime vero hic sunt limites destructionis, et raro tantum muscularis tota destruitur, quod semel vidi nostra in epidemia (No. 45) saepius vero Monachii et Parisiis. Membranam autem peritonealem ipsam destrui et perforari solum Parisiis vidi et quidem in nosocomio „l'Hôtel-Dieu" dicto, in clinico doctiss. D. Chômel. Processus destructivus supra valvulam ileo-coecalem incipit et sursum versus sese extendit, ita ut in uno eodemque individuo superiores glandulas peyerianas, non multum alteratas, leviter solum affectas et modice elevatas, adspectum retis spongiosi quasi cellulis constructi nobis praebentes invenire possis, dum subsequentes valde sint elevatae

et inflammatae, inferiores vero jam sint exulceratae. In parte superiore intestini tenuis valvulae conniventes ab ulceribus in duas quasi partes sunt divisae.

Praeter has glandularum conglomeratarum alterationes etiam quandoque glandulae disseminatae (brunnerianae) fuerunt affectae sed multo rarius quam peyerianae. Reliqua membranae mucosae pars, laesiones modo recensitas plus minusve participat. Valvulam versus Bauhini totam membranam mucosam volumine ita auctam vidi, ut quasi in toros $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$ pollices altos longitudinaliter in pluribus seriebus sibi adjectis erat disposita, quibus certe hujus valvulae actio aut penitus aut magna ex parte impediebatur (No. 45).

Vasa sanguifera intestini tenuis, praesertim quae ad locos plurime adfectos ducebant sanguine turgescentes inveniebantur. Cicatrices in uno casu Monachii, in cadavere hominis hoc morbo maximo in gradu affecti et in reconvalescentia decubitu ex gangraena mortui vidi et quidem in infima ilei parte. Spatium intra ulceris margines comprehensum adspectum praebuit quasi argenteum, a membrana peritoneali denudata provenientem. In basi ulceris erant diversis locis massae irregulares telae cellulosae, marginesque ulceris cum ejus fundo (basi) insensibiliter confluere videbantur. Notandum hic est, me jam pluries in nosocomiis, a medicis alias distinctissimis, glandulas peyerianas in minimo gradu saltem adfectas et adspectum retiformem praebentes, pro cicatricibus haberi vidisse. Etiam saepius glandulae eaedem vix alteratae pro ulceribus habentur.

Intestina crassa. Membranae muscosae eorum etiam observamus alterationes; quippe volumine aucta inflammataque reperitur. Aliquando etiam elevationi-

bus innumeris, lenticularibus, orbicularibus, lineam $\frac{1}{2}$ — 2 prominentibus, et in eorum medio impressis disseminata est, quae alteratio ad glandulas muciparas videtur pertinere. Sed ulcera hic raro inveniuntur. In coeco ea vidi interdum sed raro; erant ulcuscula rotunda, diametri 3 — 6 linearum, elevationibus modo descriptis analoga. Aliquas ani alterationes infra exponam. Tractum intestinalem examinans, in locis, ubi ulcera aderant, semper tunicas singulas separavi, quo affectio earum clarior fieret.

Ventriculus, oesophagus et pharynx. Mucosa eorum plus minusve inflammata inveniebatur, raro vero ulceribus munita. In tela cellulosa submucosa pharyngis seri infiltrationem reperi.

Nunc restat, ut de iis, quae tractus digestivus continebat, paucis loquar. Erant autem nostra in epidemia ventriculus et intestina tenuia et crassa, muco tenaci, crasso, membrana mucosa valde adhaerenti, variis locis varie tincto in ventriculo brunneo-rubro in instestinis tenuibus autem brunno-rubro-flavescente aut viridescente; in crassis saepius quasi piceo, quasi cum vernice obducta et pluribus in locis, praesertim in tenuibus hac materia quasi effarta. Haec enormis muci massa continebat in omnibus a me dissectis vermes, et quidem in ventriculo et intestinis tenuibus ascaridem lumbricoidem (in uno individuo 21 exemplaria reperta sunt (No. 20).) et in crassis eandem speciem et innumeram trichocephali disparis copiam. Hic vermis non semper a medicis cernitur, quippe quum sit minimus et ab oculo minus exercitato ut plurimum non observetur, uti pluries observandi mihi erat facultas. Prima duo exemplaria Monachii hyeme a. 18$\frac{28}{29}$ in intestino cujus arteriae a celeberrimo doctissimoque professore domino D. Doel-

linger, cera rubra erant injecta reperi, ex quo tempore nullam hoc morbo mortuorum vidi dissectionem, qua haec vermium species non esset inventa. Si intestinum apertum aqua abluitur, qua methodo simplici utor, semper facile vermes invenire possunt. Haec vermium genesis magni momenti est hoc in morbo, et trichocephalum imprimis cum eo relationem habere singularem puto, quippe quum in omnibus hoc morbo defunctis maxima ejusmodi vermium a me sit observata copia, imo circiter quadringenta ad mille exemplaria in uno individuo (No. 20.) et in aliis cadaveribus rarissime et semper parvo inveniatur numero. ex. gr. in cadavere juvenis scarlatina defuncti, in nosocomio parisiensi. „Val de Gràce" dicto, a D. Broussais dissecato paucissima inveni exemplaria.

NB. Inter centum trichocephali exemplaria sexaginta sunt generis foeminini, quadraginta autem masculini (spiraliter haec sunt contorta).

In uno casu (No. 20.) ano vehementer clauso, supra eum cloaca erat formata, materiam foecalem ascaridibus lumbricoidibus emaciatis et trichocephali disparibus intermixtam continens. In alio casu (No. 46.) anus in diametro quatuor linearum apertus inveniebatur.

M e t e o r i s m u s. In uno casu intestina tenuia meteorice erant extensa. (vide Nro. 29).

G l a n d u l a e m e s e n t e r i a l e s, quarum vasa sanguine turgescebant, plus minusve volumine auctae, inflammatae, emollitae aut induratae inveniebantur, praesertim quae locis in intestino maxime adfectis correspondebant; glandularum m e s o c o l i c a r u m etiam, licet minori gradu aderant alterationes. Num vero glandulae mesenteriales prius quam membrana mucosa

intestini, aut vice versa, aut uno eodemque tempore alterentur, dijudicare non audeo.

Hepar semper voluminis naturalis, coloris vero pallidioris, saepius emollitum, praesertim angulum versus externum superiorem inveniebatur. Vesicula fellea fere semper bilis non sat tinctae, in uno casu autem turbidae, maxima quantitate erat distensa. (Nro. 46). Adnotandum est in epidemia Webenheimensi (vide pag. 26.) in sectione cadaveris a D. George instituta, loco bilis in ea massam sanguinis coagulati esse inventam.

Quis jam protinus omnium membranarum mucosarum in hoc morbo affectionem neget?

Ceterum affectio renum, ulcusculum in pelvi renali ab aliis observatoribus inveniebatur et a me vesicae urinariae nimis urinae extensio, ejusque membranae mucosae partialis inflammatio.

Lien a multis auctoribus volumine auctus inveniebatur, a me vero semper volumine naturali, licet pluries esset emollitus. In duobus casibus (Nro. 20 et 29) aliqui lienes succenturiati, magnitudine nucis moschati exstabant et quidem apud mulierem ejusque filium; qui tamen naturae lusus familiis quibusdam inesse videtur. Morgagni jam narrat casum ubi perforatio intestini, lien permagnus etc. inveniebantur; vide in opere de sed. et caus. morb. Ebroduni 1779, 4., tom II. pag. 115. (lib. III. de morb. ventris, epistola XXXI, 2).

Totum corpus in omnibus cadaveribus valde macie erat extenuatum et mox putredinis magno in gradu intrantis prae se ferebat signa.

Cutis in uno casu et praesertim in articulis patella et olecrano valde alterata, nempe indurata et vesiculis, sero impletis, crustisque obtecta erat (N. 46);

in alio autem casu in regione dextra pectoris, ad brachia et collum usque emphysemate erat extensa et epidermis sero lucido elevata. (Nro. 29).

In casu (Nro. 20) ubi caput et thorax fuerunt aperta haec inveni: in capitis cavo nil anormale, si excipias infiltrationem seri inter arachnoideam et piam matrem non parva quantitate contenti; in ventriculis vero nullum erat serum.

In cavi thoracis examine praeter aliquas pleurae dextrae adhaesiones et sanguinem in parte posteriori inferiori loborum pulmonum inferiorum nimia quantitate inventum, (quod etiam a putredine intrante provenire potest) nil a norma aberrans est inventum. — Cor erat flaccidum.

Alterationes igitur praecipuae erant: membranarum mucosarum praesertim vero intestini ejusque glandularum et imprimis peyerianarum, sicut et glandularum mesenterii et mesocoli affectio. Ceterum mucus et vermes, praecipue autem trichocephalus dispar in intestinis tam frequenter inventus, magni in hoc morbo sunt momenti.

Tabula aegrorum.

Numerus.	Nomen.	Aetas.	Sexus.	Initium morbi sine prodromis.		Duratio prodromorum.	Sanatio aut mors.		Duratio morbi.	Gradus morbi.
1	a[1]	27	f	Febr.	13	8	Febr.	23	18	II
2	b[1]	50	f	„	13	6	Mart.	8	29	II
3	b[2]	14	m	„	13	4	Febr.	25	16	II
4	c	56	m	„	14	10	Mart.	6	31	III
5	d[1]	40	m	„	14	8	„	27	49	III
6	e[1]	16	f	„	18	3	„	6	19	II
7	e[2]	18	f	„	18	3	„	6	19	II
8	f	22	f	„	23	2	Febr.	24	3	I
9	g[1]	14	f	„	24	4	Mart.	5	13	II
10	h[1]	9	m	„	24	4	„	14	22	II
11	i	18	f	„	25	4	„	12	19	II
12	d[2]	9	f	„	25	14	„	14	31	II
13	k	30	f	„	27	9	„	15	25	II
14	l	38	f	„	27	2	„	1	4	I
15	h[2]	13	m	„	28	3	„	1	4	I
16*	m	18	f	Mart.	1	4	„	30	33	III
17	n[1]	9	m	„	2	2	„	3	3	I

Numerus.	Nomen.	Aetas.	Sexus.	Initium morbi sine prodromis.		Duratio prodromorum.	Sanatio aut mors.		Duratio morbi.	Gradus morbi.
18	n^2	37	m	Mart.	2	2	Mart.	3	3	I
19	o^1	3	f	„	2	4	„	27	29	III
20	p^1	11½	m	„	2	6	„ †	22	26	III
21	p^2	5½	f	„	4	12	„	11	19	II
22	p^3	9½	m	„	4	6	„	12	14	II
23	h^3	6½	m	„	7	2	Apr.	7	33	III
24	b^3	48	m	„	10	14	Mart.	13	17	I
25	q	19	m	„	12	3	„	16	7	II
26	o^2	34	m	„	16	4	„	27	15	II
27	r	30½	f	„	16		„			III
28	a^2	47	m	„	22	14	„	11	35	II
29	p^4	32	f	Apr.	8	6	Apr. †	29	27	III
30	g^2	36	f	Maj.	1	5	Maj.	7	11	II
31	p^5	10	m	„	17	7	Jun.	15	35	III
32	s	13	m	„	17	4	Maj.	28	15	III
33	p^6	8	m	„	27	2	Jun.	4	9	II
34	p^7	3	m	„	27	8	„	13	24	II
35	p^8	3	f	Jun.	3	7	„	5	9	II
36	p^9	30	f	„	13	2	„	15	4	I

Numerus.	Nomen.	Aetas.	Sexus.	Initium morbi sine prodromis.		Duratio prodromorum.	Sanatio aut mors.		Duratio morbi.	Gradus morbi.
37*	t	30	f	Jun.	24		Aug.	11	49	III
38	d^3	62	m	„	26	3	Jul.	4	12	II
39	u	13	m	Jul.	9	8	„	28	27	II
40*	v	15	f	„	22	3	„	28	9	II
41*	w^1	8	m	„	23	8	Aug.	22	38	III
42	x	17	f	Aug.	13	6	Sept.	4	28	III
43*	y	21	f	Sept.	2	3	„	27	28	III
44*	z^1	$5\frac{1}{2}$	f	„	4	4	„	13	13	II
45	d^4	17	m	„	12	5	„ †	28	21	III
46*	w^2	11	m	„	15	10	Oct. †	11	36	III
47	o^3	34	f	„	30	2	„	20	21	III
48	A^1	11	m	„	30	4	„ †	26	30	III
49	A^2	13	m	Oct.	7	4	„	10	7	I
50*	w^3	13	f	„	7	2	„	8	3	I
51*	z^2	30	f	„	11	6	„	19	14	II
52	B	3	m	„	28	5	Nov.	29	31	III
53	A^3	9	f	Nov.	6	2	„	26	22	III
54*	C^1	14	m	„	11	8	„	14	11	II
55*	C^2	11	f	„	14	8	Dec.	4	28	III

Explicatio tabulae.

Astericus numeris (in prima columna) postpositus indicat aegros urbem habitantes, numerus solus vero suburbium vetustum habitantes (vide pag. 18 - 21).

Nomen. Litera indicat familiam, et numerus ei postpositus membra familiae.

Sexus. Litera m. sexum indicat masculinum, lit. f. foemininum.

Gradus morbi. I. significat aegrotorum classem primam, II. secundam, III. tertiam, et IV. cum signo ✝ praeposito quartam (vide pag. 29 et 30).

Valde doleo me singulas morbi historias, aut saltem memoratu dignissimas hic non potuisse adducere. — Attamen, si hanc tabulam cum epidemiae historia comparaveris, multa tibi clariora fient. Tempus enim urgebat. —
